

volunt initio fuisse compositam ex quadam massa liquidi aquosi, in qua permixta continerentur varia elementa partim in statu fere solido, partim in dissolutione, eamque massam ope cum operationum mechanicarum, ac nominatim pressio- nis, tum chemicarum combinationum, liquidum statum cum solido commutasse. Quare graniticas rupes, porphyritem aliaque bene multa mineralia, quæ Plutonistæ igni tribuenda esse contendunt, Neptuniani e converso putant esse aquea deposita vel *præcipitata*, ut Chimici loquuntur, quæ per succes- sivas transformationes et chemicas combinationes in soli- dissima volumina molesque ingentes solidorum corporum transierint. Hanc theoriam, licet minus communem, adhuc tamen tuentur nec ignobiles nec omnino pauci geologicarum rerum periti. Verum hæc nobis innuisse sufficiat, donec ali- quid firmioribus argumentis fulcitum a naturalibus scientiis porrigatur, quod Philosophia ad ordinem et processum munda- næ creationis declarandum mutuari queat. Quæ autem montium, insularum terrarumque continentium et aliarum partium hujus nostri planetæ formationem spectant, apud Geologos quærenda sunt.

CAPUT III.

DE MUNDI ÆTATE.

Jam quod tertium attinet eorum, quæ ad mundi origi- nem exponendam promissimus, tria omnino tractanda sunt: 1.^o utrum sit necessitas æternæ creationis; 2.^o utrum ab æterno creatus sit mundus; 3.^o utrum ab æterno creari potuerit.

ARTICULUS I.

Utrum necesse sit mundum æternum asserere.

77. «Omnes pene Philosophi, qui ante Aristotelis tem- pora fuere, scribunt Conimbricenses, in eam sententiam conspirarunt, ut crederent mundum sub ea saltem facie

Errores
contrarii
reconsentur.

rerum, contextu et absolute, quam nunc habet, non ex æternitate, sed initio temporis constitisse. Ita mirum sensit Trismegistus, e cujus fontibus universa Græcia bibisse dici- tur; ita Musæus, Linus, Epicharmus, Orpheus, Hesiodus et Homerus, qui res divinas poëtica scripserunt; ita Anaxago- ras Zoroastes, Melissus, Empedocles, Pherecides, Philolaus, Democritus et Zareta Chaldæus, quem Pythagoras audivit, et secutus dicitur, tametsi Tertullianus in *Apologetico* mundum Pythagoræ ingenitum dicat» (1). Quamquam ii omnes, sicuti etiam Plato, materiam saltem mundi æternam videntur posuisse, quam alii aliter successu temporis conformationem hanc et ordinem accepisse putavere (2). Primus ergo videtur Aristoteles docuisse mundum secundum illum ordinem et ornatum, quem nunc habet; ab æterno fuisse (3). Magistrum suum veteres Peripatetici secuti esse perhibentur (4), item- que Proclus in eo libro, quem de *Æternitate mundi* scripsit, et Averroes. Eorumque vestigiis insisterunt Robinetus (5), et quotquot mundum esse autumant effectum necessarium Dei (6). Opinio vero ista mundum sive quad solam materiam,

(1) Conimbric. *Physicor.* lib. 8, cap. 2, quæst. 3, art. 1.

(2) Vide S. Thom., 2.^o dist. 1, q. 1, art. 5; et Arist. de *Cal.* lib. 1, c. 10. Vide ib. Conimbric.

(3) Vide S. Thom., 2.^o dist., q. 1, art. 5; Pereira, de *Communib. princip. omn. rer.*, lib. 15 in præm.

(4) Sunt, qui Philosophum velint hæc in re excusatum: immo vero etiam a S. Thoma de hac labe purgatum fuisse contendunt (in 1.^a part., quæst. 46, art. 1. Cfr. 1.^a dist. 1, quæst. 1, art. 3). Nihilominus Bened. Pererius (de *Commun. omn. rer. natural. princip.* lib. 15 in præm.), Toletus (*Physicor.* lib. 8, q. 1), Conimbric. (*Physicor.* lib. 8, c. 2, q. 2, art. 1), et alii errorem illum tribuunt Aristoteli, quibus prævit ipse- met Angelicus Doctor non uno in loco. Vide v. g. lib. 12, *Metaph.* lect. 10, fin.; *Meteoror.* lib. 1, lect. 3, paragr. g. Cfr. 2.^a dist. 1, quæst. 1, art. 5.

(5) *De la Nature.*

(6) Hunc errorem docuerat Victor Cousinus in priori editione suæ *Introductionis ad Historiam Philosophiæ*, quem tamen correxisse dicitur in posterioribus editionibus ejusdem operis, et in appendice *Éclaircissement 11*; ubi mentem suam exponens, se creationem non *physicæ*, sed *moralitèr* dumtaxat necessariam reputare scribit, quam moralem necessitatem «confundere videtur, inquit Card. Zigliara in suo *Cursu philosophico* (tom. 2, cap. 3, art. 9), cum summa conve- nientia petita a sapientia et bonitate Dei».

sive quoad materiam simul cum ornatu et ordinatione sua, necessario esse ab æterno procreatum pronuntians, erronea est in Fide ac plane hæretica, ut notat S. Thomas (1), quam catholici scriptores uno ore respuunt, et ineluctabilibus argumentis profligant.

78. PROPOSITIO. Nulla est necessitas æternæ creationis.

Nulla est
creationis
æternæ
necessitas.

Probatur. Necessitas æternæ creationis peteretur vel ex parte ipsius mundi, vel ex parte Dei. Atqui ex neutro capite adest ulla necessitas hujusmodi. Ergo.

Prob. Minor. per partes. 1.^o *Non ex parte ipsius mundi.* α) Necessitas æternæ creationis ex parte mundi in alio consistere nequit, quam quod mundus ex sua natura postulet ab æterno creari. Atqui mundus certissime non postulat ab æterno creari. Sane quod est omnino indifferens ex sese ad existendum vel non existendum, nequit profecto ex sua natura exigere, ut ab æterno creetur. Atqui mundus, ut constat ex superius probatis, est ens contingens, atque adeo penitus indifferens ad existendum vel non existendum. Ergo non postulat ab æterno creari. β) Necessitas hæc æternæ creationis vel intelligeretur quoad omnes mundi partes, vel quoad aliquas. Atqui non quoad omnes, quia multa passim experimur de novo fieri. Neque quoad aliquas, nam cum omnes æque sint entia ab alio, nulla assignari potest, quæ alterius sit in hoc conditionis ab iis, quæ in tempore singulis horis venire ad existentiam videmus.

2.^o *Non ex parte Dei.* **Prob. I.^o** Nam necessitas ab æterno creandi in Deo fingi non potest, nisi vel α) ratione necessitatis, quam habet in operando; vel β) ratione immutabilitatis; vel denique γ) ratione finis alicujus sibi prorsus necessarii, quemque non possit omnino assequi sine mundi creatione. Jam vero α) Deus liberrimus est in omni operatione ad extra, ita ut possit vel agere vel non agere, et agere quando libeat, ut nunc supponimus ex demonstrandis in *Theologia naturali*. Deinde β) Deus operando nihil immutat, sed sive effectus ex vi omnipotentæ suæ existat, sive non existat, perinde se habet, cum sit actus purissimus, cui

(1) 2.^o dist. 1. quest. 1. art. 5.

nihil accrescere vel advenire, nihil detrahi omnino potest in sua natura et perfectionibus. Neque vero cum incipit extrinsecus effectum ponere, novum consilium habet, aut præcedens immutat, sed æterno consilio operatur quod vult, quando vult, et quomodo vult. Immo vero nihil penitus in seipso immutatur, sive ab æterno decernat aliquid facere, sive careat hujusmodi decreto. Quæ omnia nunc supponantur; suo loco certissimis argumentis demonstrabuntur: quamquam fatendum est, capi a nobis satis non posse in hac mortali vita, quomodo libertas et immutabilitas divina, quas ratio et Fides indubitate docent, amico fœdere jungantur in illa simplicissima plenitudine possibilis perfectionis. Verum id non iudicium falsitatis, sed manifestum argumentum nostræ imbecillitatis est.

Denique γ) Deus cum nullius rei egeat, nihil potest extra se quærere. Quamobrem non potest sibi ullum finem proponere necessarium, ad quem obtinendum creare ab æterno debeat. Vel aliter si mavis. Libera voluntas nihil vult necessario nisi finem ultimum, et media ad illum obtinendum necessaria. Atqui nihil creatum potest esse finis divinæ voluntatis, nec medium necessarium ad illum obtinendum. Quemadmodum enim alibi probandum erit, primum objectum et finis omnis divinæ operationis est infinita Dei bonitas, non assequenda, sed aliis libere communicanda, quæ est ipsa ejus essentia, sibi sufficientissima, summeque independens ab omni prorsus externa re. Totam istam demonstrationem præclare expositam vide apud S. Thomam (1).

Deus itaque, ut verbis utar Concilii Vaticani, *re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus... bonitate sua et omnipotentis virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utranque de nibilo condidit creaturam, spiritualem et corpoream, angelicam videlicet et mundanam etc.* (2).

(1) *Contra Gent.*, lib. 2, cap. 31. ab initio.

(2) *Concil. Vatic., Constitut. de fide cathol.*, cap. 1: vide apud Benzinger, *Enchirid.*, n. 1631, 1632.

Prob. 2.^o *Æterna mundi creatio ex necessitate operandi, quam Deus habeat, petita, excluditur præterea in hunc modum. Si Deus ex necessitate mundum produxisset, produxisset omnium possibilium perfectissimum, itemque creasset in eo, et quidem ab æterno possibilia omnia entia. Atqui mundus hic profecto possibilium omnium perfectissimus non est; neque in eo existit ab æterno quicquid est possibile. Ergo...*

Major patet, quia hæc est causarum necessariorum conditio, ut agant, quicquid agere possunt. Minor vero non minus est manifesta, tum quia mundum finitum esse, eundemque non omnium possibilium perfectissimum, superius demonstratum est (1), tum quia præter illa, quæ existunt, alia multa esse possibilia, et ex eadem contra Optimistas instituta disputatione et ex demonstratis in *Ontologia* (2) dubitari nequit; quod vero non omnia, quæ sunt in mundo, ab æterno existant, ipsi oculis nostris videmus.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

79. Objic. 1.^o Posita causa sufficienti mundi, necesse est ipsum poni. Sed Deus est ab æterno causa sufficiens mundi. Ergo mundus ab æterno est. Ita Robinetus (3), vetera requens (4).

Resp. dist. Major.: si agatur de causa necessaria, *conc.*; si agatur de causa libera, *neg.*

Et *contra dist.* Minori, *neg. conseq.*

Objic. 2.^o Idem manens semper idem, aut nihil facit, aut semper facit idem. Sed Deus semper manet idem, cum sit immutabilis. Ergo aut nihil facit, aut semper facit idem, ac proinde vel mundum nunquam creavit, vel ab æterno jugiter creat (5).

(1) Num. 28.

(2) Num. 234, pag. 647 seqq.

(3) *Op. cit.*, vol. 3, part. 6, cap. 28.

(4) Vide apud S. Thom. *de Potent.* quæst. 3, art. 17, arg. 4.^o;

1 p., q. 46, art. 1, arg. 9; *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 32, arg. 3.^o

(5) Cfr. S. Thom. *de Potent.* quæst. 3, art. 17, arg. 6.

Resp. dist. Major.: si agat ex necessitate naturæ *conc.*; si agat per intellectum et voluntatem *neg.*

Et *concessa* Minore, *neg. conseq.* supposita divina libertate in operando. Et ratio est, quia *cum omne agens agat sibi simile, oportet quod effectus hoc modo sequatur a causa efficaciter operante, quod similitudinem causæ retineat. Sicut autem quod est a causa naturaliter agente, retinet similitudinem ejus, prout habet formam similem formæ agentis; ita quod est ab agente voluntario, retinet similitudinem ejus, prout habet formam, similem causæ, secundum quod hoc producitur in intellectu, quod est in voluntatis dispositione, ut patet de artificiati respectu artificis. Voluntas autem non disponit solum de forma effectus, sed de loco, duratione et omnibus conditionibus ejus: unde oportet, quod effectus voluntatis hinc sequatur, quando voluntas disponit, non quando voluntas est. Non enim secundum esse, sed secundum id, quod voluntas disponit effectus voluntati assimilatur. Licet igitur voluntas semper sit eadem, non tamen oportet, quod semper ex ea effectus sequatur* (1).

Instabis 1.^o Agens quod non semper agit mutatur, quando agit. Sed Deus mutari nequit. Ergo aut nihil agit, aut semper et ab æterno agere debet (2).

Resp. dist. Major. Si actus, quo agit, aliquid reale adjungat ipsi agenti, *trans.:* si nihil reale adjungat, *neg.*

Et *concessa* Minore, *neg. conseq.* Nam ex eo quod effectus ponatur, vel non ponatur in rerum natura, nihil reale advenit, vel detrahitur Deo.

Instabis 2.^o Vis activa in Deo semper est in actu, estque ipsa Dei essentia. Ergo Deus essentialiter est activus et Creator, ac proinde non potest non creare ab æterno.

Resp. dist. antec. quoad 1.^{um} membrum. Vis activa in Deo semper est in actu entitative, id est, actu semper inest Deo, nec potest ab eo recedere, *conc.*; terminative, id est, vis activa semper ponit effectum, *neg.*

Dist. pariter 1.^{um} membrum consequentis. Deus essentialiter est activus et creator quoad virtutem creandi, *conc.*;

(1) S. Thom. *de Potent.* loc. cit. ad 6.^{um}

(2) Cfr. apud S. Thom. 2.^a dist. 1, quæst. 1, art. 5, arg. 11.

quoad actualem positionem termini, *neg.*, et *neg.*, etiam 2.^{um} membrum consequentis.

Instabis 3.^o Deus essentialiter est causa. Sed causa necessariam importat relationem ad terminum existentem. Ergo Deus nequit non ab æterno creare.—**Resp.** eodem modo *distinguendo* Major. Deus est essentialiter causa in actu primo, quia est virtus omnipotens, *conc.*: est causa in actu secundo, quia actu efficit terminum ex necessitate suæ essentiae, *neg.* Et *contradist.* Minore *neg.* conseq.

Instabis 4.^o Actio creativa est æterna, nam unum idemque est cum Dei essentia. Ergo, repugnat, ut effectus pariter non sint æternus (1).

Resp. *dist. antec.* Actio creativa entitative et inadæquate sumpta, *conc.*, terminative et adæquate sumpta, *neg.* Nam actio terminative sumpta importat actualem termini existentiam, adæquate vero sumpta utrumque complectitur, et realitatem, quam creatio dicit in Deo, nempe ipsam divinam essentiam, et connotationem actualis emanationis termini a Deo: quæ connotatio non adest, donec adsit ipsa actualis emanatio. Actualis autem emanatio non est ab æterno, sed tum, cum Deus libere decrevit secundum suæ sapientiæ consilium. Et hæc quidem ex opinione, quam tamquam probabiliorē amplexi superius fuimus circa naturam actionis creativæ. In sententia vero illa, creationem reponente in actione formaliter transeunte, quæ sit modus, difficultas hæc nihil urget, sed solvitur negato antecedenti.

Instabis 5.^o Deus ab æterno decrevit condere mundum, et quidem efficaci voluntate. Atqui voluntas æterna, et ab æterno efficax, æternum habeat effectum, necesse est (2).

Resp. dist. Major. Deus ab æterno decrevit mundum in tempore, ideoque voluntate ab æterno quidem efficaci, sed non pro tota æternitate, *conc.*; aliter, *neg.*

Contradist. Minor. Si sit efficax pro tota æternitate, *conc.*; si sit efficax pro tempore dumtaxat, quia nempe decrevit, ut effectus non existeret ab æterno, sed in tempore, *neg.* Finge

(1) Cfr. apud S. Thom. 1 p., quæst. 46, arg. 10, art. 1.

(2) Vide apud S. Thom. 2.^o dist. 1, quæst. 1, art. 5, arg. 14.

enim aliquem habere hodie firmum propositum postredie iter aggrediendi. Voluntas quidem illa jam nunc efficax est, sed non pro hodierna die, quia non hodie, sed postredie dumtaxat effectum sortietur ex libero ipsius decreto. Ceterum licet sæpe apud homines voluntas ideo differat actionem ad aliud tempus, quia in præsentia est aliquid impedimentum; at voluntas Dei æterna non retardat effectum ob ullum impedimentum, sed solum ex liberrimo consilio suæ sapientiæ.

Objic. 3.^o Si mundus non fuit actu creatus ab æterno, Deus fuit in potentia ad creandum, atque adeo transivit de potentia in actum; nam cum prius non egisset, incipit mox agere. Atqui hoc est contra Dei immutabilitatem. Ergo... Ita iterum Robinetus (1), jam diu ab Angelico explosa renovans (2).

Resp. neg. Major. Etenim ratio ista *procedit de agente, quod incipit agere actione nova. Sed Dei actio est æterna, cum sit sua substantia. Dicitur autem incipere agere, ratione novi effectus, qui ab æterna actione consequitur secundum dispositionem voluntatis, quæ intelligitur quasi actionis principium in ordine ad effectum* (3).

Instabis. Sicut repugnat actio, quæ nullum habeat terminum, ita repugnat actio æterna, cujus terminus æternus non sit. Ergo si creatio dicitur esse æterna, semperque fuisse in Deo, mundus æternus esse debuit.

Resp. dist. antec. Si sermo sit de actione prædicamentali, *trans.*; si sermo sit de actione non prædicamentali, sed longe excellentiori, *subdist.*: repugnat actio adæquate ac terminative æterna, cujus terminus non sit æternus, *conc.*; actio solum entitative et inadæquate æterna, terminative autem temporalis, *neg.*

Et simili modo *dist.* conseq.

Objic. 4.^o Nihil movet voluntatem divinam ad agendum, nisi bonitas Dei. Sed bonitas divina semper eodem modo se

(1) Loc. cit., cap. 32.

(2) Vide de *Potent.*, quæst. 3, art. 17, arg. 12; 2.^a *Contr. Gent.* cap. 32, arg. 2.^a

(3) S. Thom. de *Potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 12.^{um}

habet. Ergo semper et ab æterno movit voluntatem ad creandum, atque adeo ab æterno creavit (1).

Resp. conc. Major. accipiendo motum in sensu latiori, quia si motus proprie accipitur, divina voluntas non movetur: sed metaphorice loquendo dicitur moveri a suo volito, et sic sola Dei bonitas movet ipsam (2), quatenus est ratio, cur decernit agere quidquid agit.

Conc. etiam Minor. et primum conseq., sed alterum nego; quia licet ab æterno proposuit, ac decrevit creare propter suam bonitatem, tamen non decrevit, ut creatio effectum haberet ab æterno, sed in tempore.

Objc. 5.^o Si Deus non ab æterno creavit, id fuit, vel quia non potuit, vel quia nescivit, vel quia noluit. Primum horum facit Deum impotentem; alterum, ignorantem; tertium, invidium. Ergo Deus dicendus est ab æterno creasse. Ita Robinetus (3) et Auctor *Litterarum Persanarum* (4), Procli argumentum (5), ab Angelico et Scholasticis dudum profligatum, instaurantes. Et confirmari res posset auctoritate ipsius S. Augustini, qui simili usus est argumento (6), ad probandam coæternitatem et coæqualitatem Filii ad Patrem.

Resp. conc. Major. eligendo tertium membrum: et *neg.* Minorem quoad tertium membrum. Deus enim nihil debet ulli creaturæ, sed omnia creavit ex pura liberalitate, communicans singulis entibus quidquid perfectionis habent, cum potuisset nihil prorsus creare. An dices invidium figulum, quia vasi non majorem perfectionem contulit, aut quia serius illud finxit, cum potuisset prius fingere? Apage nugas! Aliter vero dicendum fuisset, si res ipsæ creatæ vel creandæ creationem æternam requisivissent. Quare ratio, qua S. Augustinus argumentatus est contra Maximum, non est *efficax de mundo. Quia cum natura Filii sit eadem cum Patre, requirit æternitatem et æqualitatem Patris; quæ si sibi subtraheretur,*

(1) Apud S. Thom. *de Potent.*, loc. cit., arg. 14. Cfr. *ibid.* arg. 26; 2.^o dist. 1, quæst. 1, art. 5, arg. 12.

(2) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 14.^{um}

(3) Loc. cit., cap. 42.

(4) *Epist.* 99.

(5) Apud S. Thom. *de Potent.*, loc. cit., arg. 22.

(6) *Contr. Maxim.*, lib. 3, cap. 7, et 8 a med., et cap. 23.

invidiæ esset. Non autem hoc requirit natura creaturæ; et ideo non est simile (1).

Instabis. Sunt plura, quæ requirunt semper esse, nempe incorruptibilia omnia. Ergo saltem hæc ab æterno creati debuerunt; videlicet ne Deus denegans rebus creatis id, quod naturaliter exigunt, invidiæ insimulari posset (2).—*Resp. dist.* antec. Sunt plura, quæ antequam creentur, requirunt semper esse, *neg.*; postquam existunt a Deo creata, requirunt semper esse, *trans.*

Et *neg.* conseq.; quia ut jam in probatione notatum fuit, omnis res creata vel creabilis, utpote essentialiter ens contingens, essentialiter quoque indifferens est ad existendum, vel potius ex se est *intrinsicè possibilis* duntaxat, seu non repugnat ei, ut producat. Substantiæ vero incorruptibiles dicuntur exigere semper esse; non quia exigunt, ut creentur, sed quia postquam creatæ sunt, non habent intrinsicè principium corruptionis, ideoque destrui ab agentibus naturalibus nequeunt. Et quia Deus naturaliter loquendo non desinit conservare res in esse, nisi quando ipsæmet ex naturalium causarum actione fatiscunt, et ineptæ ad existendum absque miraculo redduntur; idcirco et converso substantiæ spirituales ac naturaliter incorruptibiles dicuntur exigere semper esse, vel jus habere, ut conserventur a Deo. Adhuc tamen Deus reapse *non tenetur* absolute conservare, quia est summus omnium dominus ac plenissime independens, sed posset illis influxum, quo in *esse* durant, retrahere, absque ulla invidiæ vel ullius alterius dedecoris nota, et ipsæ consequenter possunt absolute perire: unde non exigunt semper esse, nisi sub ea implicita conditione, quod Deus agat cum illis secundum naturalem earundem conditionem.

Objc. 6.^o Deus facit, quod melius est. Atqui melius est mandum ab æterno, quam in tempore, creare. Nam majoris est liberalitatis citius dare, quam tardius. Bonitatis autem divinæ infinita est liberalitas. Ergo... (3).

(1) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 23.^{um}

(2) Cfr. S. Thom. loc. cit. arg. 2; 1. p. quæst. 46, art. 1, arg. 2.^o; 2.^o dist. 1, quæst. 1, art. 5, arg. 1.^o, 2.^o et 3.^o; *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 23, arg. 1.^o et 2.^o.

(3) Vide apud S. Thom. *de Potent.* loc. cit., arg. 8.

Resp. dist. Major. Quod absolute ac simpliciter in seipso melius est, *neg.*, nam jam probavimus contrarium, cum exclusimus optimissimum. Quod est melius relative, spectato fine libere sibi proposito, *conc.*

Contradist. Minor. Ipsi mundo absolute in se spectato melius fuisset, quod Deus ab æterno illum creasset, *trans.*; Deo melius fuisset mundum ab æterno creare, vel ipsi etiam mundo id melius fuisset relative et spectato fine, quam Deus sibi proposuit in eo condendo, *neg.* Et nego pariter probationem.

Etenim cum Deus creaturas ad manifestationem sui produxerit, *convenientius fuit et melius, ut sic producerentur, sicut convenientius et expressius eum poterant manifestare. Expressius autem manifestatur ex creaturis, si non semper sin; quia in hoc manifeste apparet, quod ab alio educia sunt in esse, et quod Deus creaturis non indiget, et quod creaturæ omnino divinæ subjacent voluntati* (1) Et ratio est, quia mundus, ex dicendis, creatus fuit ad repræsentandam divinam bonitatem; sed nequit illam repræsentare *per modum æqualitatis; sicut effectus univocus suam causam repræsentat, ut sic oportet ab infinita bonitate æternos effectus produci; sed sicut excedens repræsentatur ab eo, quod exceditur. Excessus autem divinæ bonitatis supra creaturam per hoc maxime exprimitur, quod creaturæ non semper fuerunt; ex hoc enim apparet expresse, quod omnia alia, præter ipsum, eum habent sui esse auctorem, et quod virtus ejus non obligatur ad hujusmodi effectus producendos, sicut natura ad effectus naturales; et per consequens quod est voluntate agens et intelligens: quorum contraria quidam posuerunt, æternitatem creaturarum supponentes* (2).

Objic. 7.^o Deus certe præcedit aliquo modo mundum. Ergo vel tantum natura, vel etiam duratione. Si tantum natura: ergo mundus Deo æqualis est, atque adeo æternus. Si autem præcedit duratione: ergo est duratio prior duratione mundi, et hæc illa posterior. Sed prius et posterius in duratione constituunt tempus. Ergo ante mundum fuit tempus: quod est contradictio in terminis; quia cum tempus supponat

(1) S. Thom. *de Potent.*, loc. cit. ad 8.^{um}.

(2) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 35 fin.

motum et mobile, ac proinde mundum, ponere tempus ante mundum perinde est, ac ponere tempus ante tempus, id est tempus sine tempore. Ita Aristoteles et Proclus (1), et longo post tempore Kantius (2).

Resp. conc. antec et conseq. eligendo alterum membrum. Et ad id, quod ex inde inferitur, dico ante mundum præcessisse durationem æternam, quæ simplicissima cum sit, æquivalet cum excessu perfectionis infinito tempori; quia absque reali successione ac mutatione secundum prius et posterius in sua actuali præsentialitate cœexistere potest cuius successioni prioris et posterioris, excedendo semper quodlibet possibile prius et posterius, quod assignari queat. Porro prius et posterius, quæ actu sint, constituunt tempus reale; quæ vero actu non sint, sed tantum potuerint esse, constituunt tempus dumtaxat possibile et imaginarium. Quare ex tota argumentatione id unum consequitur, si Deus duratione præcessit mundum, ante hoc tempus reale fuisse tempus aliquod possibile, seu tempus hoc antiquius esse potuisse; quæ omnia libenter concedimus, verum nullam involvunt repugnantiam. Ad rem Aquinas: *Deus præcedit mundum duratione, non quidem temporis, sed æternitatis, quia esse Dei non mensuratur tempore. Nec ante mundum fuit tempus reale, sed solum imaginarium, prout scilicet nunc possumus imaginari infinita temporum spatia æternitate existente potuisse revolvi ante temporis inceptionem* (3). Verum de tempore deque iis, quæ ad tempus spectant, inferius disputabitur.

Difficultas hæc solet etiam sub illis terminis proponi: Tempus sempiternum sit, oportet. Ergo et mundus, sine quo tempus esse nequit. Prob. antec. Nam qui negat tempus esse sempiternum, hoc ipso affirmat. Sane qui negat tempus semper fuisse, affirmat tempus *aliquando* non fuisse, *prius* non fuisse et *postea* fuisse. Atqui verba hæc: *aliquando, prius, posterius*, significant tempus. Ergo qui negat tempus

(1) S. Thom. *de Potent.* loc. cit. arg. 20; 1 p., q. 46, ar. 1, arg. 8; 2.^a dist. 1. quæst. 1, arg. 7; *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 33, arg. 5.^o et 6.^a

(2) *Critic. ration. pur., Dialect. transcend.* lib. 2, cap. 2, sect. 2.

(3) S. Thom. *de Potent.*, loc. cit. ad 20.^{um} Cfr. 1 p., q. 46, art. 1, ad 8.^{um}

semper fuisse, ponit tempus ante tempus. Ne ergo hujusmodi absurdum admittere cogamur necesse est dicere tempus semper fuisse.—Exsufflatur autem tota hæc machina sola distinctione temporis realis et possibili, prout jam declaratum manet.

Objic. 8.^o Deus unico actu vult et suam bonitatem et alia extra se. Atqui suam bonitatem vult ab æterno esse. Ergo etiam alia.

Resp. dist. Major. Unico quidem actu, sed diversa ratione atque habitudine, *conc.*; eadem, *neg.* Quamobrem quia Deus alia a se non vult necessario, quia his nullatenus eget; vult quidem eodem actu æterno, quo se vult, sed non vult, ut sint ab æterno, verum in tempore, ut jam dictum est.

Objic. 9.^o Id quod nec initium nec finem habere potest, æternum est. Atqui tempus nec initium nec finem habere potest. Ergo æternum est; et consequenter ipse mundus.

Prob. Minor. Quidquid est semper in principio et fine sui, nec desinere, nec incipere potest, sed semper fuit, et semper erit; quia quod incipit, non est in suo fine, quod autem desinit, non est in suo principio. Sed tempus semper est in suo principio et fine: quia nihil est temporis nisi *nunc* vel instans præsens, cujus definitio est, quod sit finis præteriti et principium futuri. Ergo tempus nec initium nec finem habere potest (1).

Resp. hæc ratio aperte petit principium. Nam *prius et posterius est in tempore*, inquit S. Thomas, *secundum prius et posterius in motu*, quemadmodum suo loco explicabitur. Unde principium et finis accipienda sunt in tempore, sicut et in motu. Supposita autem æternitate motus, necesse est, quod quodlibet momentum in motu acceptum, sit principium et terminus motus, quia nempe in motu sempiterno nulla pars prima potest assignari, sed qualibet assignata potest alia prior assignari. Id tamen necesse non est, si motus incipiat, ut constet vel ipsa experientia motuum, quos videmus initium et finem habere. Et eadem ratio est de nunc temporis. Et

(1) Vide apud S. Thom. 1 p., q. 46, art. 1, arg. 7; 2.^o dist. 1, quest. 1, art. 5, arg. 5.^{um}

sic patet, quod ratio illa instantis nunc, quod semper sit principium et finis temporis, præsupponit æternitatem temporis et motus (1). Propositio ergo illa asserens quod omne nunc sit finis præteriti et principium futuri, non potest probari nisi ex suppositione ejus, quod per eam concluditur; et ideo patet, quod non sit demonstratio (2). Unde Aristoteles hanc rationem allatam in objectione inducit in 8.^o Physicorum (text. 10) contra eos, qui ponebant æternitatem temporis, sed negabant æternitatem motus (3), argumento videlicet ad hominem. De modo autem, quo tempus et generatim successiva incipiunt, ac desinunt esse, inferius, Deo volente, disputandum erit.

Objic. 10. Si mundus non creatus fuisset ab æterno, assignari posset temporis possibilis punctum, in quo potius, quam in alio, creandus esset. Atqui nequit assignari hujusmodi punctum temporis: nam omnia possibilis puncta temporis æque indifferentia et apta per se sunt, ut in eis mundus crearetur. Ergo necesse est dicere non potuisse non ab æterno creari mundum.

Resp. dist. Major. posset assignari a nobis, *neg.*: a Deo, qui liberrime ac sapientissime potest unum præ alio tempus eligere, *conc.*—Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Has aliasque objectiones fuse solutas vide, si lubet, apud S. Thomam locis citatis, et apud Benedictum Pererium, qui duodecim Aristotelis et viginti Procli, itemque duodecim Averrois, et alia præterea duodecim argumenta ad probandum necessitatem æternæ creationis colligit, et singillatim dilucide dissolvit in egregio suo opere de *communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus* (4). Quibus certe nihil novi addiderunt recentiores aut assertores aut impugnatores necessitatis æternæ creationis.

(1) S. Thom., 1 p., q. 46, art. 1 ad 7.^{um}

(2) S. Thom. 2.^a dist. 1, q. 1, art. 3 ad 5.^{um}

(3) S. Thom., 1 p., q. 46, loc. cit.

(4) Lib. 15, cap. 1-10. Cfr. Conimbric. *Physic.* lib. 8, cap. 2, q. 4.

ARTICULUS II.

Utrum mundus creatus fuerit in tempore.

80. Exclusa æternæ creationis necessitate, videndum est quid de facto locum habuerit: quamvis enim necesse non sit mundum ab æterno creatum fuisse, nequit tamen exinde illico inferri temporaneum illum esse, nisi supponatur repugnantia creationis æternæ. Cum ergo longe certius sit mundum æternum non esse, quam quod non potuerit ab æterno creari, factum temporanæ creationis prius statuere placet, relicta ad sequentem articulum questione de creationis æternæ possibilitate. Illud autem ante omnia notandum est temporaneam mundi creationem, quamvis sit dogma Fidei divina certissimum, demonstrative probari non posse, quemadmodum disertè docet S. Thomas (1); si enim nulla est creationis æternæ aut necessitas aut repugnantia, quemadmodum partim demonstratum est, partim probabitur ex communissima sententia, plane sequitur a divina tandem libera voluntate pendere, utrum ad æterno, an vero in tempore creatus sit mundus. Quæ autem a libera Dei voluntate pendent, demonstrari naturalibus argumentis non possunt, sed sola revelatione cognoscuntur. Quod ideo notatum volui, ne quis in hujus resolutione questionis apodictica argumenta e rationis penu deprompta requirat; ratio namque probabilia dumtaxat argumenta suppeditare potest. Et nihilominus controversia hæc præteriri nequit a christiano Philosopho, tum quia spectat ad *Cosmologiæ* objectum, tum quia officium ejus est notum omnibus reddere, quidquid Fides hac de re docet, ut Geologis cæterisque naturalium scientiarum cultoribus omnis errandi occasio eripatur.

Doctrina ergo catholica est, mundum in tempore conditum fuisse. *In tempore* autem conditum esse non significat ante mundi creationem precessisse tempus aliquod reale, in quo mundus fuerit creatus, eo pacto, quo quæ nunc

(1) S. Thom. 1 p. q. 46, art. 2; de *Potent.* q. 3, art. 17; *Quodlib.* 3, art. 31.

Temporaneæ
mundi creatio
dogma
Fidei est,
quod ratione
demonstrari
nequit.

Quid sit
mundum creati
in tempore.

fiunt, dicuntur fieri in tempore vel in tali anno vel die, nam revera tempus mundo ipsi concreatum est; sed negat dumtaxat mundi æternitatem, ita ut mundum in tempore factum esse perinde sit, ac mundum non semper existisse, vel coævum fuisse æternitati, sed initium durationis habuisse: ideoque potuisse prius esse vel mojem antiquitatem habere (1). Idecirco etiam ad probandam verissimam istam doctrinam, necesse non est ætatem ipsam mundi determinare.

81. PROPOSITIO. Mundus æternus non est, sed in tempore fuit conditus.

Veritatem hanc Theologi ostendunt ex variis locis Sacrarum Litterarum (2), communique Patrum consensu confirmant. Eamdem vero definitam habes in Concilio Lateranensi IV cap. *Firmiter* hisce verbis: *Deus... sua omnipotentis virtute simul ab initio temporis utramque de nibilo condidit creaturam, spirituales et corporales* etc (3). Eamdem definitionem iisdem fere conceptum verbis, quæ in præcedenti articulo exscripsimus, renovavit Concilium Vaticanum. Idem patet ex damnatione quarundam propositionum Ekkardi a Joanne XXII, Pontifice Maximo, facta, quarum prima hæc erat: *Quod Deus non potuit primo (forte prius) producere mundum, quia res non potest agere antequam sit: unde quam cito Deus fuit, tam cito mundum creavit*. Altera sic se habebat: *Concedi posse quod mundus ab æterno fuerit*: tertia denique: *Quod simul et semel quando Deus fuit, quando Filium suum coævum per omnia coævum Deum genuit, etiam mundum creavit* (4). Hoc argumentum, quod ex Theologia dogmatica mutuamur, ineluctabile est.

Ex divina porro revelatione videtur omnino exordium sumpsisse communis hac de re popularum traditio; omnes enim ferme, detractis fabulis et allegoriis, in hoc conveniunt, «mundum divina virtute genitum in tempore, præcessisse chaos seu elementorum commitionem, deinde

Mundus
æternus non est
sed
temporaneus.
Doctrina Fidei

et traditio
popularum
omnium
hac super re.

(1) Cfr. S. Thom. de *Potent.* quæst. 3, art. 14, ad 6.^{um}

(2) Vide v. g. *Proverb.*, cap. 8, v. 22; *Psal.* 90, v. 2; *Joann.* cap. 17, v. 5; *Ephes.* cap. 1, v. 4 etc.

(3) Vide apud Denzinger, *Enchirid.*, n. 355.

(4) Denzinger, n. 428, 429, 430.

successive ignem, mare, cælum, terram, viventia producta, atque ultimo hominem». Ita præter Hebræos «Aegyptiorum, Phœnicum, Chaldaeorum, Persarum, Hetruscorum, Græcorum, necnon novi orbis populorum traditio» (1). Tanta enim in diversissimis nulloque fœdere sociatis gentibus sentiendi uniformitas communem aliquam habere debuit causam, quæ alia esse non potest, quam primæva aliqua revelatio homini facta, et ad posteros per traditionem transmissa.

Quid
ex geologicis
inventis
ad huius veritatis
probationem
valeat a ferri.

Substantia
viventis non
sunt æterna:
hominis vitæ.

Confirmari potest propositio 1.^a ex geologicis observationibus variisque aliis historicis præsidis, ex quibus probabilissima conjectura concluditur: α) entia viventia, et potissimum hominem, non semper extitisse. β) Quod si viventia non sunt æterna neque etiam reliqua mundana entia æterna dicenda sunt.

Prob. α) *substantia viventes non sunt æternæ*. Et primo quidem

Homo. Historia generis humani et monumenta scientiarum artiumque, etiamsi fabulis Sinensium, Aegyptiorum aliorumque populorum circa imperii sui exordia fides adhiberetur, non admodum remotam attingunt antiquitatem, Atqui id fieri nullatenus potuisset, si homines ab æterno extitissent.

Minor constat ex eo, quod homo cum sit ens sociale atque intelligenti præditum, solet sui vestigia relinquere in societatum ac nationum fundatione, inque partibus ingenii per litteras aut alia signa ad posteros transmissis.

Major vero probatur 1.^o ex fide probatissimorum historiographorum et archæologorum, secundum quos nihil videtur certum, immo ne satis quidem probabilibus nixum argumentis hactenus allatum fuisse, quod nos cogat humano generi septem aut octo mille annis majorem antiquitatem asserere (2). Non me latet quosdam recentiores Geologos, nescio quam *Præhistoriam* commincentes, liberalissimos esse

(1) Tong, *Cosmolog.*, n. 312. Vide in hanc rem Euseb. lib. 1. de *Præparat. Evang.*; Eugubin., de *perenni Philos.*, lib. 7, cap. 8; Huert. *Quest. Aletan.*, lib. 2, cap. 5; d. P. Joann. Mir, *La Creation.*, cap. 2.

(2) Vide Cæsar. Cantu (*Historia universal, Epoca primera*, cap. 3); Riancy (*Histoire du Monde, Première Période*, pag. 26. Paris 1866); aliosque rerum harum peritissimos scriptores ab eodem laudatos.

in amplificanda supra omnem modum hominis ætata (1). Hujusmodi tamen supputationes, quas viri aut odio vel contemptu catholice religionis abrepti, aut pure hypotheticis ac phantasticis argumentationibus plus æquo indulgentes, aut fatua, nedum absurda, Darwinianæ evolutionis ac transformismi somnia sectantes, confecerunt, nullam prorsus fidem merentur; sed iis omnino standum est, quas catholici scriptores ex librorum sacrorum ac Traditionis monumentis concinnant. Verum est scriptores catholicos in contenda chronologia a creatione mundi vel humani generis ad ortum Christi Domini desidere (2); immo et ipsi libri sacri secundum hebraicum textum, et Vulgatam editionem latinam, et secundum græcam versionem Septuaginta Interpretum, et secundum codicem Samaritanum, non eandem exhibent annorum intercapedinem inter eadem facta (3). Hæc tamen discrimina, quorum causas varii auctores inquirunt (4) non adeo magna sunt, ex quibus id unum licet concludere nondum hanc rem certam esse ac definitam in Ecclesia Dei. Quare forte successu temporis aliquid inveniat, unde novum lumen affundatur ad certius definiendam quæstionem chronologicam circa generis humani antiquitatem. Cum tamen

(1) Multi contenti non sunt centum ac bis centum mille annis, tercentena multoque plura millia annorum requirunt. Qua de re videri potest el. P. Mendive, *La Religion Catholique vindiquée*, cap. 31, pag. 664-665. Madrid, 1887.

(2) PP. Benedictini Maurini in opere *L'art de vérifier les dates, putant* ab Adami creatione ad Christum Dominum effluxisse annos 4063; Baronius Septuaginta Interpretes secutus, annos 5200; alii ut Bossuet, Natalis Alexander etc. 4004, alii 4138, alii circiter 4200, alii cum Martyrologio romano 5190; Panvinus denique 6300. Vide Joann. Albertum Fabricium in *Bibliotheca Antig.* cap. 7.

(3) Ita v. g. ab Adamo ad diluvium ex versione Septuaginta numerandi sunt anni 2242; at secundum textum Samaritanum 1037 dumtaxat, et 1656 secundum hebraicum; item a diluvio ad vocationem Abraham intercesserunt ex textu Samaritano anni 942, vel 1017 secundum aliorum supputationem: ex hebraico vero textu anni 292 vel 352; ex versione autem Septuaginta anni 942 vel 1072, vel 1247. Vide Rev. D. Thomas *Les temps primitifs* etc. tom. 1, liv. 4.^{um}, chap. 1, pag. 168.

(4) Vide R. D. Thomas (loc. cit.), Reusch (*La Bible et la Nature*, lect. 31), Rev. D. Hamard (in *Dictionar. apoget.* R. D. Jaugéy, ad vocem *Antigüedad del hombre*).

hactenus nihil certi ac solidi afferri possit sive ex archæologia sive ex historia sive ex naturalium scientiarum inventis, quod valeat ad labefactandas hac in re catholicorum scriptorum sententias; fixum maneat jure merito negari homini septem aut octo mille annis vetustiorē ætatem: atque adeo humani generis creatio recentissima, nedum æterna, dicenda est. Simul autem et illud addere juvat, etiamsi catholicorum chronologia veritatem non haberet, sed e converso veræ essent *Præhistoricorum* gratuite assertiones, nondum negandam fore temporaneam humani generis existentiam. Aliud enim est, quod a centenis sæculorum millibus existerit homo, et aliud, quod a tota æternitate.

Et hæc quidem generatim dicta fuerint; ad particularia descendamus. Notum omnibus est atque exploratum, antiquissima sibi orientales populos arrogasse suarum notionum exordia (1). Verum historiographi censent generatim nullam esse prorsus hisce commentis fidem adhibendam. Nominatim Chaldæorum historiam ultra duo annorum millia (A. C.) parum assurgere testantur gravissimi scriptores, fragmentis historicis Berosi alisque monumentis innixi (2).

(1) Los Caldeos aseguraban, scribit Cæsar Cantù, que habian conservado las observaciones astronómicas de 710.000 años, y contaban antes del diluvio, diez generaciones de reyes que habian durado 120 saras, de 3600 años cada una; trescientos millones de años enumeran los Bramanes; dos millones y medio los Japonenses; poco menos los Chinos, cien mil años los Persas; treinta y cuatro mil los Egipcios; treinta mil los Fenicios, y doce mil los Etruscos. Pero hombres doctos (Le Gentil, *Voyage dans les Indes*, t. 1, 235; Bailly, *Astr. Ind.*, p. 110 y 112; *Histoire de l'astronomie ancienne*, p. 76; Dupuy, *Origine des cults*, III, 146; Hermanois, *Mythologie der Griechen*, II, 332, etc.) han demostrado que estos números representan ciclos astronómicos, múltiples de 13, 10, 52, 60, 72, 360, 1440 y otros períodos (V. en nuestra Cronología, *ciclos*), á cuyo regreso la imaginación de aquellos pueblos unió la idea de una renovación de la materia, que, en su concepto era indestructible, atribuyendo al espacio lo que no parece propio sino del tiempo. (*Historia universal, por Cæsar Cantù, traducida directamente del italiano por D. Nemesio Fernández Cuesta*, época primera, cap. 2, p. 11-12. Madrid 1854). Cfr. Riancey, (*Histoire du Monde*. Première période, p. 27. nota).

(2) Rianceyus chaldaici initia imperii constituit anno circiter 2234 (A. C.); at Benedictini auctores operis *L'art de verifier les dates*, anno 2690. Cfr. Chantrel (*Nouveau Cours d'Histoire universelle*, tom. 1,

Quod Ægyptum attinet, non parum laborant scriptores in conciliandis contradictionibus, quæ inter vetustiores historiographos ac varia monumenta adhuc extantia illius antiquissimæ gentis cernuntur, inque aliquo veritatis lumine e tot tenebris excutiendo (1). Et quamquam non desint, qui remotiorem antiquitatem requirant (2), alii tamen gravissimi historiographi et ægyptologi censent nullis sat certis iudiciis nos cogi, ut initia populi ægyptiaci ad tria annorum millia (A. C.) assurgere, immo etiam bis mille annos multum excedere, credamus (3). Quæ antiquitas haud difficulter conciliari potest cum biblica narratione.

chap. 3), Dunker, (*Historia de la antigüedad...* traducida por A. Garcia Moreno... y Juan Ruvira, lib. 2, pág. 297, Madrid, 1875), Rev. D. Thomas (Op. cit. livr. 4.º chap. 4). Fabulosa illa, quæ Berosus narrat de primis Chaldæorum temporibus, ut non pauci auctores observant, vestigia quædam continent primævæ traditionis, moxicam historiam confirmantis. Sane diluvium describit eodem ferme pacto quoad præcipua capita, ac Moyses: ante diluvium ponit decem reges, quorum singuli multa annorum millia vixisse dicuntur. Jam totidem Moyses Patriarchas antediluvianos refert: si vero *sarum*, quæ chaldaica temporis mensura est, interpretetur ex Suida periodum annorum 18 cum dimidio; tempus quo decem illos reges vixisse scribit Berosus, fere æquat tempus, quod ex versione Septuaginta fluxit ab Adamo ad diluvium. Vide cl. Vigouroux (*La Bible et les Découvertes modernes*, tom. 1. liv. 1, chap. 4), Riancey (Op. et loc. cit. pag. 135 in nota 2, ubi et alios scriptores in eadem sententiam adducit), cl. D. Thomas (Op. cit. liv. 4, chap. 1 fin). Cfr. Dunker (Op. et loc. cit. pag. 279 et 285-288).

Cæterum traditionem diluvii et numerum decem primorum regum satis communem fuisse apud antiquos populos ostendit cl. Vigouroux, loc. cit. Cfr. cl. Thomas, Op. cit. 4.ºº, chap. 1 fin.

(1) Vide Riancey (Op. cit., chap. 8, pag. 410), Rev. D. Thomas (lib. 4, chap. 5), Dunker (lib. 1, pag. 20 seqq.), Cantù (*Histor. t. 1, cap. 17, 18*).

(2) Vide illos apud cl. Thomas, loc. cit., chap. 5, pag. 103.

(3) Clarissimus vir Champollion-Figeac (apud Card. Wiseman, in sua octava Oratione super relationibus inter scientiam et religionem revelatam) testatur, nullum extare ægyptiacum monumentum bis mille ducentis annis antierius christiana ætate. Similia jam diu scripta reliquerat S. Augustinus (*de Civit. Dei*, lib. 18, cap. 40) post Varronem. Vide etiam Riancey (loc. cit., p. 411), Chantrel (*Cours d'Histoire univ.*, 2.º part. chap. 2, p. 80, 81), Thomas (op. et lib. cit., chap. 5, p. 193-194).

De indorum exordiis magna est inter eruditos viros dissensio (1): Vera tamen historia vix ultra decimum aut duodecimum sæculum (A. C.) se porrigit (2). Paulo major creditur esse Arabum antiquitas, Persarum, Sinensium, Japonensium, aliorumque orientalium gentium (3), si eruditissimo viro Klaproth alisque (4) fides adhibenda sit. De Græciæ originibus id unum sufficiat notare, primum Pelasgorum adventum in eam regionem accidisse videri vigesimo circiter (A. C.) sæculo (5). Quæ vero narrant de posterioribus migrationibus Cecropis, Deucalionis, Cadmi et Dardani ex Usserii (6) aliorumque (7) sententia, referenda videntur plus minus ad Moysis ætatem. Quæ cum ita sint, illud omnino concludere oportet, ex historia antiquissimarum nationum comprobari generis humani novitatem.

2.^o Idipsum confirmat artium scientiarumque historia. Astronomia scientiæque naturales recentissimæ sunt, Philosophiæ initia vidimus in lumine hujus operis (8): Mathesis

(1) De fabulis Indorum circa suam vetustissimam antiquitatem vide Riancey (op. cit., 2.^{um} période, chap. 5, p. 255). Ab Aryis Indi progeniti creduntur Aryi autem in Indiam migrarunt ex Lenormant (*Hist. ant. des peuples d' Orient*, t. 3, p. 431) anno (A. C.) 2500, secundum alios vero mille annis posterius. Vide cl. Thomas, (loc. cit., chap. 4).

(2) Vide Cæs. Cantu. (*Historia*, lib. 2, cap. 11), Thomas, chap. 4.

(3) Le savant Klaproth (*Essai sur l'autorité des historiens d'Asie*) a établi que l'histoire véritable ne commence pour les Chinois qu'au IX.^e siècle (idem sentit alii apud Thomas) avant J. C., pour les Japonais au VII.^e, pour les Georgiens au III.^e, pour les Thibétans au I.^{er} siècle après Fac., pour les Persans au III.^e, pour les Arabes au V.^e, pour les Indiens et Mongols au XII.^e siècle de notre ère. Le reste est d'histoire incertaine et conjecturale. Riancey, Op. cit. Prem. périod., p. 27, nota. Si tamen sermo sit, non de certis documentis, sed de magis minusve probabilibus conjecturis, quidam graves AA. longe vetustiore tribuunt Sinensibus ætatem. Vide Thomas (loc. nup. cit.)

(4) Apud Cantu (op. cit., epec. primera, cap. 2, fin. in nota.

(5) Vide Cæs. Cantu (op. cit. loc. cit., epec. 2.^a esp. 28, pag. 234), Chantrel (op. cit., 3.^a part., chap. 1, p. 101).

(6) *Annal. Vet. et nov. Testam.*, pag. 172.

(7) Vide Riancey (Op. cit., tom. 2, 3.^{es} périod., chap. 1), Chantrel (loc. nup. cit.).

(8) Vol. 1, *Introductio in univer. Philos.*, § III.

non dudum maximos cæpit facere progressus. Liber omnium antiquissimus, qui extat, est Pentateuchus, a Moysæ sexdecim circiter ante Christum natum sæculis conscriptus. Vetustissima pars sacri libri Vedarum in India sanscritico sermone exarati, testantibus peritissimis scriptoribus, non superat XIV (A. C.) sæculum (1). Homeris grecorum poetarum primus circa nongentesimum aut millesimum annum ante Christum vixisse creditur. «Antiquissimus prophanus historicus, cujus extant opera, est Herodotus, qui florebat anno 440 ante Christum; historici, quos ipse consulere potuit, annis vix centum eum præcesserunt. Berosus et Manetho pertinent, hic ad tertium ante Christum sæculum, ille ad tertium vel quartum» (2). Quid ego loquor de Musica, de Pictura, de arte architectonica, militari, navali etc? (3). Quid de legibus ac legislatoribus? Atqui incredibile prorsus est sine his omnibus vixisse homines per secula infinita. Ergo valde recens esse genus humanum oportet.

Nec mihi obstrepes nescio quo sylvestri hominis statu, quem paulisper diuturno annorum tractu mutaverit transiundo per ætates æoliticam (4) palæoliticam (5) et neolithicam (6), donec tandem ad præsentem cultum et humanitatem progressus sit. Hæc enim nugæ esse, nullis vel probabilibus nixas fundamentis, multi clarissimi viri demonstrarunt (7).

(1) Vide apud cl. Thomas, Op. cit. liv. 4.^a chap. 4.

(2) Perronc, *de Deo Creatore*, part. 2, cap. 3, n. 206.

(3) Vide Strabonem (lib. ultim.), Plin. (lib. 7, cap. 56), Diodor. Sicul. (lib. 2, cap. 2).

(4) Hanc ætatem pertinere effutiunt ad terrena tertiaria, dumque ea duravit, hominem usum fuisse instrumentis lapideis sectis ad ignem.

(5) Hanc ætatem dicunt cœvæ fuisse terrenis quaternariis, in eaque hominem adeo rudem fuisse blaterant, ut lapidea adhuc adhiberet instrumenta, quamvis aliquantulum elaborata.

(6) Hæc recentior est ætas, in qua fingunt patroni hujus doctrinæ hominem primo instrumenta ex lapide polito, mox ex ære, ac tandem ex ferro sibi apparasse.

(7) Vide hæc de re copiose et erudite disserentem J. Chabas (*Études sur l'antiquité historique*, chap. 8), Reusch (Op. cit. lect. 32), cl. Hamard (*L'âge de la pierre et l'homme primitif*), et artic. *Antigüedad del hombre* in Dictionario rev. D. Jauguey, ubi alii graves scriptores laudantur: item cl. Joann. Mir. (*La Creacion*, cap. 44).

3.^o Temporaneam denique nec valde longævam ætatem humani generis probant geologicæ observationes. Quamquam enim multi præjudiciis imbuti, et gratuitis hypothesibus, immo et insanissimis erroribus freti, centena etiam annorum millia requirere non vereantur; at vero nullum e converso prostare hominis humanæve industriæ aut ingenii vestigium in terrenis quaternario^a vel recenti antiquioribus, communissima est vox saniorum Geologorum (1). Quare et Geologiæ et Archæologiæ certissima quæque inventa et artium scientiarumque monumenta, et historiæ diversorum populorum unanimum consensu in id conspirant, ut constantem ad hæc usque tempora catholicorum circa recentem humani generis ætatem persuasionem confirment (2). Quæ autem argumenta ad remotissimam hominis antiquitatem evincendam solent ex variis capitibus depromi, egregie soluta videri possunt apud apologetas catholicos (3); nos enim in iis confutandis hæere non possumus, tum quia etiamsi vera forent, non probant æternam hominis creationem: tum quia quamvis pro officio christiani Philosophi docere, ac notare sollicitè conati sumus, quid tenere oporteat de humani generis ætate secundum communem sensum catholicorum, quem nulla adhuc certa ratio potuit evertere, etiam fatentibus eruditissimis recentiorum litterarum viris; prorsus a scopo hujus operis aberraremus, si ad objecta quæque adversariorum minutatim dissolvenda ac directe tractanda converteremus orationem.

(1) Quæ vero quidam objiciunt ex alluvie ac sediminibus quibusdam fluviorum, et quibusdam terre formationibus, quas *turbas* vocant, et ex calcaris crustis (*stalagmitas* appellant) que in cavernis cernuntur; soluta vide si lubet, apud cl. Hamard in Dictionario citato ad voces *Antigüedad del hombre* et *Cronómetros naturales*. Vide etiam Reusch (loc. cit., pag. 552 seqq.), cl. Thomas (liv. 4.^o chap. 6, pag. 200 seqq.).

(2) Quam ad rem verissime scripsit Leonhard (*Geologie* I, 282): *L' Histoire sainte aussi bien que la Géologie nous prouvent jusqu' à l' évidence que l' homme est une créature récente sur la terre.*

(3) Vide cl. Hamard (in Dictionario Apologetico R. Domini Jaughey, ad voces *Antigüedad del hombre* et *Cronómetros naturales*), cl. Thomas (loc. cit.), Reusch (loc. cit.), cl. P. Mendive (*La Religión católica vindicada*, cap. 31), Chabas (*Études sur l' antiquité historique*, chap. VIII) etc.

Quoad reliqua viventia necesse non est multa addere. Primo enim si creatio mundi simul tota peracta est, vel saltem sex diebus viginti quatuor horarum spatio comprehensis, eadem hominis et reliquorum omnium viventium ætas dicenda erit. Si autem dies genesiacos longiores, et indeterminatas temporis periodos ex communissimo recentiorum scriptorum consensu interpretemur; adhuc ex geologis ac palæontologis pronuntiatis inferitur temporanea viventium creatio. Nam variorum stratorum terræ dispositio Geologos ad opinandum induxit, strata illa successive alia post alia superficiem terræ constituisse. Quare si semper entia viventia terram incoluissent, in omnibus terrenis aliqua extarent vestigia illorum. Atqui in primitivis terrenis nullæ cernuntur viventium reliquæ: quam ob rem ætas illa terræ *ævoica* dicta est. Ergo ex ipsa Geologorum communi doctrina probabilissimum desumitur argumentum ad temporaneam viventium creationem.

Cæterum supposita, quam modo inuimus, latiori dierum mosaïcorum interpretatione ac successiva terrenorum formatione, dicendum videtur varia strata fossilifera, nisi miraculo Deus usus fuerit, ex frequentissima Geologorum sententia plürium lapsu sæculorum egressis, ut formarentur. Quæ doctrina minime dicenda est supputationem temporis biblicæ narrationi innixas evertere: siquidem argumenta, quæ hujusmodi supputationibus suppeditant sacræ Litteræ, omnia respiciunt hominem, atque adeo solum valere possunt ad hominis ætatem cognoscendam; nisi contendas aut rerum cunctarum simul peractam esse creationem, aut dies genesiacos intelligi non posse his nostris diebus duratione dissimiles, quorum utrumque haud facile, puto, probabis. Quanto autem tempore ante hominem reliqua viventia esse cæperint, certo ac positive definiri non potest. Id unum licet nobis statuere, eos qui plura centena annorum millia ad formationem stratorum fossiliferorum requisiverunt (1), nullis certis argumentis niti potuisse, sed hypothesibus plus æquo forte indulsisse, et quosdam etiam transformismi absurdis præjudiciis abreptos temere judicasse (2).

(1) Vide illos apud cl. P. Joan. Mir, *La Creacion*, cap. 25, art. 2 fin.

(2) Vide Reusch, Op. cit., lect. 17.